



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem Varia Ervditione Noviter evoluta

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

1. Imago Somni.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

μορφῆ: forma, species) nomen à formando habet; mirus artifex & simulator figurarum est, nam domini iussu, quorumcunque vultus hominum non modò fingit lepidè, sed verba etiam ac mores imitatur. *Icelos* verò à simulando dictus, (ἱκελον simulacrum seu *Phobetor*, φόβος timor, terror: φοβέω terrefacio) nam idem ipse etiam terrefacit; frater ejus, in varias animalium figuras abit, & jam feram, jam volucrem, jam serpentem induit, omnes animantes assimilare doctus. Tertius frater *Phantasus* nomine, nempe imaginator (φαντάζω fingo, imaginem ementior) qui inanimatorum repræsentat imagines, ut sibi per somnum videantur videre, undam, saxum, trabem, aliâque animâ carentia. Atque hi filiorum somni nobilioribus tantùm mortalium nocte suos vultus ostendunt; cætera liberorum turba, per oppida & agros taciturnè vagatur, hominèsque plebeios, pueros ac mulierculas imaginibus implet.

Ethica.

I. (a) Qui somniorum ignorant causam, putant ea immitti ab altiore mente, puta vel à genio, vel à Deo. Sic fingitur Juno per Irim suam imperâsse Morpheo, speciem Ceycis ut objiceret per quietem Alcyonæ. Cùm enim mens somno sopita sit, censent eam tunc agi à Deo. Errorem & superstitionem auxere poëta, qui suum rei cuique homonymum dant Deum. Unde Ovidius hîc:

Somne quies rerum, placidissime somne deorum.

Et Seneca in Hercule furente:

----- Túque ô domitor
Somne malorum, requies animi,
Pars humanæ melior vitæ,
Veris miscens falsa futuris,
Certus, & idem pessimus auctor,
Pavidum lethi genus humanum
Cogis longam discere mortem.

Philostratus in imagine Amphiarai, ita somnum pingit: Facie, inquit, resoluta esse videbatur, alatus, candidam vestem habens super nigram, quasi diem & noctem indicaret: cornûque transparens in manu tenere; quippe tum *vera somnia* immittens. Nam si loco cornæ laternæ dentem elephantis, visu impervii sustinet, falsi somnii figura est. de qua re inferiùs. Ovidius verò hîc:

Y y 3

In

(a) Imago Somni.

In medio torus est, ebena sublimis, in antro
Plumeus, unicolor, pullo velamine tectus,
Quò cubat ipse Deus, membris languore solutis.
Hunc circum passim varias imitantia formas
Somnia vana jacent.

De Somno Silius lib. 10.

----- curuòque volueris

Per tenebras portat medicata papavera cornu.

Et paulò post:

----- quatit inde soporas

Devexo capiti pennas, oculisque quietem,

Irrorat, tangens Letheâ tempora Virgâ.

Homerus: καὶ γὰρ ὄναρ ἐκ Διὸς ἐστὶ. Etenim somnus à Jove est: quia
& insomnia dicta sunt διόπερμετὰ, id est, à Jove missa: & θεῶν ὀμφαί, id
est, divinæ voces, & Διὸς ἄγγελοι. Jovis nuntii.

II, (b) Theologis quadruplex somniorum genus est. *Naturale*,
Morale, à *Damone*, à *DEO* immissum. Naturalia sunt, quæ corporis
bonam, malâmve temperiem, stomachum oppletum aut vacuum sequun-
tur: ex his bona, malâve valetudo dignosci potest. Hinc medicorum
antesignanus Hippocrates librum de insomniis conscripsit. Homo tristis,
tetsicus, & quem atra bilis exercet, jam novit sua somnia: fatigari, cade-
re, angî, lacrimas fundere, humi repere, latebras quærere, pericula sub-
ire, inter mortuos agere, tristia quæque audire, creberrimum illi, penè-
que quotidianum. Qui multi & boni sanguinis sunt, somniantes hila-
rescunt, tripudiis intersunt; rident, currunt, volant. Atque hæ melio-
res aut deteriores affectiones, bonos, malôsve corporis habitus apertè sa-
tis enuntiant.

III. (c) *Moralia* è cogitatis, dictis, & factis diurnis proveniunt.
Hinc somnia Tullius cogitationum & negotiorum diurnorum reliquias ap-
pellat. De divinat. Et Claudianus in 6. Honorii Consulat.

Omnia quæ sensu volvuntur vota diurno;

Tempore nocturno reddit amica quies.

Venator defessa toro cùm membra reponit,

Mens tamen ad silvas, ac sua lustra redit. &c.

Hinc judex lites, auriga currus & equos, ægrotus & sitiens fontes
& aquas, poëta versus somniat, avarus pecunias numerat, famelicus epu-
las tractat. Sic Theseo, Herculis consobriño facta illius præclara etiam
in

(b) *Quadruplex somniorum genus. Naturale, (c) Morale.*